



D RIMVM duæ tibi conficiendæ sunt tabulæ, ut uocantur, Quadrangulares, quæ superficierum sint planissimarum, Facies autem uel ex metallo aliquo solido, uel ex ligno quopiam, quod iam longo situ soliditatem induit, quarum unam quidem inferne collocabis, quæ fundamentum Torqueti, siue tabella Horizontalis appellari poterit. Sitq; hæc paulo maior, puta ad digitos duos aut tres, quàm ea quæ superne collocanda fuerit, Quin & lineam quandam per medium Horizontalis tabulæ ducere oportet, quæ recta tibi Meridianam repræsentabit lineam. Deinde quas sic operatus es tabulas, inuicem, instar horologiorum, quæ uulgo Campassas uocamus, uel alia quapiam, & ad hoc idonea inuentione, coniunge. Deinde uero superficies eius, quæ superne posita est, Tabulæ, excauanda uenit circulariter, hoc est, ut dicitur, orbiculariter, sic tamen ut limbus siue margo iminentia sua superet excauationem. Qui quidem deinde limbus, Aequinoctialis uocabitur ambitus, Quod cum factum fuerit, alia eiusdem materiæ præparetur tabula, quæ priorem excauationem æquè expleat, quæq; nullum orbicularis uolutionis suæ recipiat impedimentum: conueniatq; superficies eius ex æquo cum superficie quadrangularis tabulæ, uno duntaxat exempto denticulo, qui dictæ superfici ei in hæreat. Et hæc deinceps, nempe orbicularis tabula, Aequinoctialem in cælo clare repræsentat. Porrò quia tabula illa superior, quam dicimus quadrangularem, ad elevationem Aequinoctialis circuli, loco in quo uti uolueris Torqueto, eleuari debet, summe prospiciendum, ut tabulæ Horizontali unam adhuc aliam coniungas tabulam, qua monstrante, eandem quadrangularem, id est, Aequinoctialis circuli ambitum, ritè ad situm Aequinoctialis loci illius, cuius cupidus es, eleuare possis. Quod quidem in hunc qui sequitur modum fieri debet. Ducenda est primum semicircumferentia quædam loco quopiam plano, & ad id satis spaciòso, deinde per centrum eius ducendus est tibi diametrus, hoc est, oppositionis linea, quæ quidem linea, semicirculum utraq; à parte contingat. Tum etiam semicircumferentia illa in 90 æquales subinde scindenda partes, factò uidelicet initio à dextra, quam uersus, donec ad 90 ascendas usq;. Quo habito pone unam regulæ extremitatem, super primum, id est dextrum circumferentiæ latus, dirigendo reliquam eius extremitatem supra gradum elevationis poli Arctici, loci aut regionis, cuius elevationem habere uolueris, Lineam rectam protrahendo, quæ linea ad infinitum usq; deducta, elevationem Aequinoctialis supra Horizontem regionis tuæ tibi demonstrat. Hic tamen nota bis, ut quicquid extra has rectas lineas apparuerit, penitus abijcias. In cuius te cognitionem subscriptum paulo inferius Schema deducere potest. Porrò per hanc elevationis Aequinoctialis tabulam, eleuanda uenit illa superior quadrangularis tabula, hunc in modum: Applica dextri lateris aciem huius scilicet tabulæ triangularis, ubi **A** nota ponitur Meridianæ, inferioris quadrangularis tabulæ lineæ uersus Septentrionalem eius partem. Alteram uero trianguli partem, quæ in altitudinem uergit, eatenus Meridiem uersus dirige, quatenus præcise supra Meridianam inferioris quadrangularis tabulæ lineam conquiescat, adeo ut superior illa quadrangularis tabula, decentissime huic triangulo applicari ualeat. Poteris tamen etiam quadrangularem illam tabulam excauare, quatenus trianguli huius capax esse queat: deinde affigere illi & coaptare, ut eam cum uolueris & eleuare, & rursus submittere possis.

Dogma

Primum